



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber dissencionum archiepiscopi Coloniensis et Capituli
Paderbornensis**

Dietrich <von Engelsheim>

Münster, [1893-1897]

6. De dieta domini Coloniensis facta ad Bohemiam cum aliis principibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54427](#)

Concordatis et pacificatis pretactis dominis, archi- 5.
 episcopo Coloniensi et predicto illustri Wilhelmo super
 prenarratis, tunc idem archiepiscopus se cum principibus
 et terrarum dominis prope eum habitantibus ad pacis
 tranquilitatem posuit, cum eisdem se colligavit, faciens
 cum illustribus principibus, episcopo Magno, nato filii(?)
 ducis Saxonie, Hildensemensi, cum Ottone et Wilhelmo,
 ducibus Brunswicencibus et Luneborgensibus, cum
 Lodewico, lantgravio Hassie, confederationem, amiciciam
 inter eos, cometes de Waldecke, de Tekeneburg et
 dominos de Lippia condicendo. Sicque tunc instedit¹⁾,
 ut debita per eum in premissis dissensionibus contracta
 persolveret, que, ut per se profitebatur, se ultra ducenta
 milia florenorum Renensium extenderant. Pro quibus
 redimendis plures decimas de suis indixit, postulavit,
 colligere fecit et accepit, ita exacte tales requirens et
 graves inponens, quod plures sue diocesis beneficiati
 sua beneficia relinquunt, possessionibus in eis habitis
 resignarunt, sine spe rehabendi absedentes ab eisdem;
 quod dolens refiero, eis compaciendo. Dominus tunc
 prelibatus post hec in optima habitudine utramque
 ecclesiam Coloniensem et Paderbornensem rexerat, pacem
 servaverat et onerosus suis non fuerat, sic quod eo
 causante nulle inimicicie seu rapine suis inferebantur.
 Utinam si tale bonum regimen et propositum ita per-
 mansisset! Tunc ecclesia Paderbornensis, ut prefertur
 destituta, per optime fuisse habunde reformata.

Cum autem reverendissimus dominus Theodericus 6.
 de omnibus memoratis laudabiliter erat liberatus, tunc
 propter detestabilem heresim Husitarum, illis temporibus
 per maxime in regno Bohemie et partibus ibidem vicinis

¹⁾ = institit.

circumquaque vigentem, fidem Christi et religionem in-
 desinenter destruentem, inhumana perpetrantem reve-
 rendissimus in Christo pater Julianus, tituli Sancti Angeli
 cardinalis legatus a latere, ad Germaniam pro extir-
 patione dicte heresis et aliis rebus a sede apostolica desti-
 natus, necnon Serenissimus princeps Sigismundus, im-
 perator Romanorum, Ungarie et Bohemie regnorum rex,
 prenominatum dominum archiepiscopum in adiutorium
 contra tales Husitas ad intrandum Bohemiam et extir-
 pandum talem heresim invocarunt. Qui tamquam bonus
 fidelis katholicus se ad hoc anno domini MCCCCXXII
 circa 1422 valde excellenter cum maxima comitia preparavit et
 15/8 Bohemiam cum aliis multis principibus circa festum
 assumptionis virginis gloriose intravit, habens secum circa
 tria milia virorum equestrum et peditorum (sic!) man-
 sitque cum eisdem ibidem usque ad festum beati Micha-
 1422 helis tunc proximum vel circa, ultra XXX milia flore-
 circa norum pro tunc consumendo, parum utilitatis contra
 29/9 Husitas reportando, sic quod ipsi tunc primo principes
 eos circumiacentes plagis magnis per tempora multa
 invaserunt, bonum dei destruendo, bonos christianos
 trucidando, parum aut nichil de fide Christi et sacra-
 1430 mentis curantes, ita quod in anno domini M°CCCCXXX
 alia dyeta contra eosdem per Beatissimum dominum
 Martinum, papam, et Serenissimum Sigismundum, impe-
 ratorem, erat indicta, ad quam prefatus dominus cum
 mille armigeris et bene totidem pedestribus, secundario
 reverendissimo Leodiensis ecclesie episcopo comite,
 Bohemiam intravit, iterum bene per sex septimanas
 ibi permanendo, XX milia florenorum consumendo, ubi
 plures equos et currus ad magnum valorem bene quinque
 milium florenorum perdidit, equos dimisit et suos mortuos
 reliquid. De qua dieta nec utilitas aut commodum Christi
 fidelibus devenerat. Sic tunc dominus reveniens ad

propria, ibidem tunc ad bonum tempus requievit optime, pacifice et quiete. Statim tamen post hoc cum magno apparato (sic!) et expensis multis intravit Prussiam, dudem¹⁾ ibi residendo. Sicque ex omnibus premissis rimatis²⁾ fama ipsius undique in Germania erat gloriose divulgata, et ex illis pre aliis suis coëpiscopis et electoribus venerabilior reputatus.

Omnibus premissis ad finem bonum deductis et 7. optime complanatis, preposito, decano et capitulo ecclesie Paderbornensis cum reverendissimo in Christo patre, domino Theoderico, archiepiscopo Coloniensi, ecclesie Paderbornensis administratore, eorum tunc vero domino, quietissime viventibus, sperabatur ab eodem, sue ecclesie Paderbornensis profectum, augmentum, pacem et divicias consequi, et eandem ecclesiam per eum augmentari, dampna passa et expensas erga predictum habunde passas recuperare, prout talia sue receptionis tempore ad tutelam et administrationem fertur taliter plurimum spospondisse, et plures dominorum de capitulo ab eodem presentialiter audivisse. Nescitur tamen, quo spiritu tunc ducebatur, immo verius seducebatur. Ipse sub annis domini M^oCCCCXXX sine collegii cardinalium, imperatoris 1430 Sigismundi, archiepiscopi et sui capituli Moguntini et sine capituli, vasallorum, civitatum et opidorum ecclesie Paderbornensis situ,³⁾ consensione et voluntate a Beatissimo domino Martino, papa quinto, clam et oculte camera-liter⁴⁾ fecit et impetravit, ecclesiam Paderbornensem sue ecclesie Coloniensi uniri et incorporari, licet de omnium premissorum preiudicio agebatur, sic quod voluntas

¹⁾ Schreibfehler statt dudum = eine Zeit lang.

²⁾ Erforschungszug, Kriegszug.

³⁾ für scitu. ⁴⁾ Auf Schleichwegen.